DE
CURA MEDICI
CIRCA
RECONVALESCENTES
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI D.

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

SPECTABILIS

DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM

D. D. PROFESSORUM

IN ALMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE HUNGARICA

PRO

RITE OBTINENDO

MEDICINAE DOCTORIS GRADU

SUMMISQUE

IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

LEGITIME

CONSEQENDIS PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

JACOBUS PREISS,

HUNGARUS UNGHVÁRIENSIS.

In Theses adnexas disputabitur die   Julii 1843.

BUDAE,

typis Joannis Gyurián et Martini Bagó.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b22388990

FŐTISZTELENDŐ

CSURGOVICH JÁNOS

URNAK,

A' MUNKÁTSI SZÉKES EGYHÁZ ÉNEKLŐ KANONOKÁNAK, BEREGHI FŐ ESPERESTNEK, AZ UNGHVÁRI KIRÁLYI GYMNASIUM HELYBELI IGAZGATÓJÁNAK, HITTUDOMÁNY TANÁRJÁNAK, TEKINTETES BEREGH, MÁRMAROS, SZABOLCS, UNGH ÉS ZEMPLÉNY VÁRMEGYÉK TÁBLABIRÁJÁNAK.

A'

HAZA, TUDOMÁNY, 'S EMBERISÉG

ÜGYÉBEN

FÁRADHATATLANÚL BUZGÓ FÉRFIÚNAK

MINDEN JÓ ÉS SZÉP

HŐ KEBLŰ ELŐMOZDÍTÓJÁNAK

NAGY KEGYŰ PÁRTFOGÓJÁNAK

HATÁRTALAN

TISZTELETE JELÉÜL

AJÁNLJA

A' SZERZŐ.

Prooemium.

Legi academicae satisfacturus praesens conscripsi opusculum, cuius argumentum: „De cura medici circa reconvalescentes“ omni reflexione, et uberiori perlustratione dignum mihi videbatur. Quot quaeso aegri periculo quamvis ipsius morbi iam superato, suam aut medici negligentiam quoad convalescentiae curam sua vita non iam luebant? quot et quales recidivos morbos quotidie fere enasci non videmus ex convalescentia non attente tractata? Imparem me quidem gravis huius thematis elaborationi sentio, pluraque manca et imperfecta hic esse sincere fateor; ast aequo velis Lector Benevole pensitare animo tironem me-

dicum in omnis thematis pertractatione pluribus premi difficultatibus, si eam vel ad minimum dignitatis litterariae gradum deducere tentaret. Quod-si vero alii me doctiores in elaboratione memorati argumenti meliora et perfectiora praestabunt, me quoque operi omni respectu digno aliquid contribuisse iuvabit.

Dabam Pestini mense Julio 1843.

Auctor.

§. 1.

Convalescentiae nomine intelligimus statum illum peculiarem, intermedium inter morbum profligatum, et sanitatem pristinam recuperandam, in quo aeger magnam secum fert propensionem in morbos recidivos. Hinc merito plurimi medicorum tempus convalescentiae ad ipsius morbi decursum pertinere asserentes, illud qua proprium huius stadium omni aevo considerarunt. Crisibus enim quamvis feliciter peractis, et symptomatibus sic dictis pathognomonicis quamvis plenarie evanidis, non paucas tamen convalescentiae tempore observamus processus vitalis abnormitates, quae e morbo praegresso propullulantes, huius quoque typum, atque etiam characterem praeseferunt.

§. 2.

Neque mirum, cur tempore convalescentiae tot recidivas observemus summe periculosas aegros intra paucos dies enecantes, vel morbis diuturnis chronicis originem praebentes. Organismus enim profligationem morbi praegressi omni ratione efficere moliens, hoc suo molimine non solum virium, sed et materiarum iacturam et alienationem patitur, unde pro diversis relationibus major vel minor in eodem exoritur dispositio in morbos recidivos posthumos, qui accedente vel minima causa occasionali debilitatum alioquin processum vitalem omni atrocia infestant, luctaeque novae novo cum processu morboso ineundae imparem supprimunt. Summi itaque est momenti eum, quem convalescentiae nomine intelligimus statum, bene nosse, omniaque, quibus status hic post graves imprimis morbos se se manifestat, scire symptomata.

Symptomata convalescentiae

§. 3.

Inter haec sequentia praecipue memoratu digna sunt debilitas organismi universalis cum summa iuncta sensilitate, macilentia diversi gradus, musculorum marcor, et notabilis in perficiendis functionibus suis languor, hinc animi deliquia sub corpore erecto, vertigo, susurrus aurium, lassitudo spontanea, aliaque debilitatum processum vitalem manifestantia signa quae ex languente circulatione et reliquarum functionum inertia originem trahunt. Huius generis symptomata sunt: pallor faciei et totius corporis, pulsus celer, debilis, mollis; sudores nocturni, species febriculae ad vesperam ut plurimum ingruens; appetitus ab initio exiguus, sensim sensimque ad bulimum usque crescens, cui si per largiorem cibum satisfit, anorexia, nausea, vomitusque succedunt. Lingua plerumque fere muco albo tecta, alvus tarda aut suppressa, urina largiori saepe copia missa.

§. 4.

Haec depicta convalescentiae imago non semper eadem nobis se se repraesentat ratione, sed pro diversitate morbi praegressi quoad characterem, extensionem, durationem etc. nec non pro diversitate individuorum morbo affectorum quoad constitutionem, temperamentum, vitae genus etc. status convalescentiae alium atque diversum induit characterem. Hinc facile intelligendum, cur symptomata convalescentiae apud nonnullos aegros veram debilitatem, apud alios vero statum erethisticum, aut torpidum et inertem manifestent. Omni tamen in casu symptomata superius recensita sat clare testantur aegros morbo vix exantlato pro sanis nunquam esse habendos, quia corpus universum morbo praegresso debilitatum et in

priorem aegritudinem pronum levi e causa in recidivas ruit, malo superato multo periculosiores. Minime igitur aegri sibi bene consulunt, qui e periculo vix emersi, reliquias morbi diaeta bona et lauta absque omni medici auxilio debellari posse autumant.

§. 5.

Nimium certe foret, limitesque opusculi hujus transgrederer, si historiam convalescentiae post omnes et singulos morbos hic depingere tentarem. Sufficiet itaque rem ex generali magis conspectu considerare, atque divisione illa in therapia maxime consveta etiam hic utentes, convalescentiam primo post morbos acutos, deinceps eam post morbos chronicos pertractabimus. Maxima vero attentione digna est convalescentia post morbos acutos illos, qui febrium nomine veniunt. Recidivae enim post huius generis morbos locum saepe habentes assidua tantum et circumspecta medici cura praecaveri possunt. Hac e causa convalescentiam post morbos febriles specialius exponere iuvabit, ita tamen, ut hic tantum ea post febres cardinales, ad quas innumerae aliae facili negotio revocari possunt, perlustretur.

Convalescentia post febres inflammatorias.

§. 6.

Febres inflammatoriae, quae tertio, quinto, aut septimo die summum vehementiae gradum attingere solent, plerumque distinctis signis criticis terminari observantur, ubi tum sub felici omine die quinto, septimo, aut decimo quarto convalescentia inchoat, et breve quoque post tempus absolvitur, nisi in casu adverso variae accidant mutationes, quibus eadem ad plures usque septimanas, mensesque etiam protrahi potest. post febres inflam. non tantum cum erethismo nervorum et

vasorum, sed saepe etiam cum vera debilitate nobis luctandum est, quae eo in maiori adparet gradu, quo atrocior et violentior febris fuit, et quo plures eadem evacuationes — in specie sanguinis — ad suam medelam desideravit. Huic virium prostrationi aegri minime medicamentis roborantibus, aut vero stimulantibus, diaetaque lauta et vinosa occurere debemus; sufficit enim ad vires aegri erigendas cibis uti nutrientibus, minime vero phlogosim vix sopitam denuo suscitantibus; hinc primis temporibus, erethismo praecipue vasorum locum habente, in convalescentia post febres inflam. in remediis antiphlog. adhuc continuandum, parciori tamen dosi, et ex penu leniori. Excedente enim potu emolliente et solvente maior corpori inducitur debilitas, et materierum organicarum iactura. Ex adverso vero, si in convalescentia post huiusmodi febres usus remediorum antiphlog. repente interrumpatur, aeger periculo recidivae eo magis exponitur, quum nondum penitus deleta illa in phlogosim propensio adhuc sub cinere latet, levissima causa data in veram erumpens inflammationem. Hinc caveant sibi convalescentes ex febri inflam. ne diaeta utantur lauta et stimulante, quia vires aegri ad semel auctae phlogosim recrudescere faciunt. Quodsi tamen post febrim inflam. omni erethismo vasorum absente notabilis observaretur organismi debilitas, et virium prostratio, diaeta quidquam lautior, et modice stimulans — sub circumspecti tamen medici invigilatione — conveniet; ita etiam post deperditos humores plasticos, et praesente digestionis languore remedia amara roborantia sub dictis cautelis in usum vocentur.

§. 7.

Febris inflam. cum organi alicuius topica affectione eo magis in morbum recidivum prona est, quo maior in parte affecta remanserit sensibilitas, et functionis turbatio, quod in pneumonia optime observari potest. In convalescentia post eiusmodi febrim inflammatoriam aegris omnis motus vehe-

mentior, temperaturae vicissitudines, victus vitiosus et stimulans strenue interdicendus; levissimus enim stimulus organa respirationis morbo praegresso sensiliora facta denuo irritabit, et novam in iis provocabit phlogosim priori haud raro periculosiorem Haec autem tum imprimis nobis recrudescentiam minatur, si praegressae inflammationis pulmonum debita et radicalis resolutio locum non habuit. Tum cessantibus febris ipsius inflam. symptomatibus, conqueruntur saepe convalescentes de dolore sub inspiratione profundiori, caeterum sanissimos se gloriantes. Sub talibus rerum circumstantiis medicus circumspectus aegros suos etiam tempore convalescentiae saepius profundam inspirationem tentare, et in utrumque latus decumbere iubebit, eum in scopum, ut expiscetur, num molestiae percipiantur latentem athuc inflammatiois processum manifestantes, cui remediis emollientibus, antiphlogisticis occurrendum erit certiusque hac ratione omnis praecavebitur recidiva. Quodsi vero febris inflammatoria non simplex, sed cum alius indolis febri complicata fuerit, tunc in convalescentia quoque antiphlogisticorum usus solus vix sufficiet, sed complicationis quoque ratio respicienda, mothodus pro febris complicatae diversitate etiam diversa in usum vocanda, et ad regulas therapeuticas adaptanda erit.

Convalescentia post febres inflam. specificas.

§. 8.

In convalescentia post febres catarrhales, quae saepe inducunt et relinquunt dispositionem catarrhosam dictam, et qua posita, minima saepe causa eundem revocat morbum, caveant sibi aegri praecipue ab iniuriis externis origini huiusmodi morbi ansam praebentibus. Inter has repentina frigoris et caloris vicissitudo principalem occupat locum. Attamen monendum, ne covalescentes e febri catarrhosa nimis sollicite iniurias athmosphaerae fugiant, secus malum, quod effugere

student, eo facilius adlicient, quum impossibilis sit omnis aurae liberioris evitatio; hinc aegri adhortandi — tempore imprimis vernali — ne cubicula calefacta nimis cito deserant, nec vestes hybernales calidiores deponant, aut se se effluviis humidis exponant, corporique sub validiori motu sudoribus prolicitis frigidam admittant auram. Versentur caeterum in aëre puro, sicco moderate calido, victu fruantur digestu facili, vegetabili, non aromatico, potu diluente tepidulo; motum corporis exerceant moderatum, imprimis foveant aequabilem cutis transspirationem. E remediis, quae in hac convalescentiae specie optime aegris conducunt sunt: Lichen island. Polygala amara, pulveres Doveri, et alia similia.

§. 9.

In convalescentia post affectiones rheumaticas semper adhuc evacuationes criticae respiciendae sunt et adiuvandae; hinc corpus, in quo vix exstincta saeviebat inflammatio, sedulo a potentiis externis nocentibus tuendum est. Fracta autem phlogosi, et insultibus feliciter sopitis, ad superstitem e febri rheumatica sensibilitatem temperandam, ad dolores leniendos, stases solvendas, et recidivas huius morbi praecavendas ab antiphlogisticis pedetentim remediis recedendum, et ad ea transeundum, quae modo dictos effectus Rheumatismi acuti tollere valent, inter quae antimonialia, mercurialia, alcalia, sapones, sulfur, extracta amara, Guaiacum, Cinchonacea, et martialia, ipsa Narcotica, lotiones, balnea ab initio tepida, serius frigidiuscula cum aqua pura vel saponacea aut sulfurea omnes omnis aevi practici tentarunt.

§. 10.

Horum pharmacorum vis medica per diaetam congruam optime adjuvatur. Haec vero in eo consistit, ut victus sit parcus vegetabilis cum animali mixtus, digestu facilis; potus adhibeatur temperans, diluens, spirituosus vero vitandus;

vestitus sit anni temporibus, et aëris vicissitudinibus adcommodatus; versetur aeger in athmosphaera pura, sicca, temperaturae mediocris — nocet enim calor excessivus non minus, quam frigus —; vitetur validior corporis motus; arceantur animi affectus et pathemata; cubilia inhabitata sint sicca, ampla, serena, in quibus aër athmosphaericus saepius renovari debet.

§. 11.

Post adfectiones erysipelatosas febriles circumspecta convalescentiae cura eo maiorem a medico postulat attentionem, quo maiorem morbi hi in recidivas, et metastases summe periculosas possideant pronitatem. Consvetim tamen inflammatione feliciter devicta, erysipelas, nisi anomaliae intercurrant, desquammatione epidermidis in parte, quae inflammata fuit, terminare observamus, dum ea, que recens formatur cuticula summam ostendit sensibilitatem. Hinc reconvalescentes ex erysipelate omne refrigerium, humidumque aerem sollicite vitent; defendant partem affectam ab iniuriis externis, arceantque omnem animi motum, et meditationis adstrictionem praecipue post erysipelas faciei. Excedentem vero illam cutis sensibilitatem frictionibus lenioribus, serius lotionibus frigidis cum aqua et pauxillo aceti saturnini, aut spiritus camphorati, commoratione in aëre sicco, moderatae temperiei, ac debito regimine diaetetico debellare possumus. Praeterea medicus post adfectiones erysipelatosas ad viscerum abdominalium statum respiciat oportet, tumque si quae adessent obstructiones, solventibus curandae, alvi obstipatio per Rheum aliaque congrua remedia tollenda, mala vero posthuma uti: suppurationes, ulcera, fistulae, indurationes etc. iuxta generales therapeuticas regulas tractandae erunt, habito semper laesae functionis dermaticae respectu.

Convalescentia post exanthemata.

§. 12.

Dantur persaepe exanthemata adeo benignae naturae, ut ex iis convalescentes vix ullo egeant medici auxilio; dum aliis in casibus per plures septimanas imo menses convalescentia excurrens ob diversa mala posthuma diligentem et circumspectam exposcit medici curam. Ita post variolas malignas convalescentia vigesima quoque die et ultra non raro morte terminari potest. Aliis in casibus licet aegri post morbum huncce orci faucibus fuerint erepti, periculo tamen vitae novo ob mala posthuma, uti sunt: caries ossium, anthrocakia etc. implicantur; haec tamen mala posthuma quamdiu inflammatorio distinguuntur charactere, remediis antiphlogisticis, nec non vesicantibus largis, et usu mercurialium praevertere licet. Pedisequa suppuratio, exulceratio, et ipsa gangraena externe inspersionem carbonis vegetabilis superimposito linteolo in acido pyrolignoso intincto exigunt; interne acidum phosphoricum, china cum liquore Anod. Min. Hoffm. Spiritus nitri dulcis, elixirium acidi Halleri et caetera propinanda. Saepius post variolas tristissimos oculorum morbos observamus, ophthalmias nimirum, pannum, maculas corneae, hypopium, amauroses, synechias, fistulas lacrymales, hydropem sacci lacrymalis, aliaque mala, quae secundum leges artis oculariae therapeuticas tractandae sunt.

§. 13.

Post morbillos frequentissimae et insidiosae observantur respirationis difficultates, quae mox charactere inflammatorio, mox spastico vel nervoso se se annunciant; priori igitur in casu depletio sanguinis topica hirudinum ope, aut universalis per venaesectionem instituenda, aliis vero in casibus remedia expectorantia et solvente — alterantia, uti: Sulfur auratum antimonii, sal amon. Poligala Seneg. Hyosciamus,

mercurius dulcis, comphora cum opio optatos praestabun effectus.

§. 14.

Post scarlatinam exantlatam malum succedens frequentissimum est hydrops, qui persaepe omnem et medici curam, et remediorum efficaciam irritam reddit, et in quo medendo multum interest scire, num hypersthenicus, vel asthenicus sit, quod e charactere praecedentis scarlatinae optime colligitur. Primo in casu conveniunt eccoprotica, diuretica mitiora, imprimis nitrum, cremor tartaar. tartar. depurat. oxymel scyllae, sambucina, acetum ammoniacale, refractae doses Tart. emet. mercurius dulcis Digitali nuptus. Omnibus his tamen lotiones cum aqua egelida bis terve nychthemeri spatio repetitae, et debitis sub cautelis institutae palmam praeripere testatur practicorum multorum experientia; illis namque solis collectum laticem serosum intra paucos dies dissipatum fuisse compertum est. Hydropes vero passivi exigunt audaciores ad salivationis usque adparentis vestigia mercurii dulcis doses, quibus accedente hydrocephalo, herbam Belladonnae adiungi Hufeland suadet. sub fine curae usus corticis peruviani, ipsaque martialia optimo cum effectu in usum revocari possunt.

§. 15.

In convalescentia post typhum exanthematicum et contagiosum, quem debellare bonis avibus medico si contigerit, diaeta apta et congrua maxime salutares producit effectus. Suadendum itaque talibus convalescentibus, ut versentur in aëre puro sicco, cibi sint digestu faciles, potu utantur vinoso dosi moderata, vitentque omnem corporis, animique adstrictionem, quamvis moderatus corporis motus in aëre libero, coelo sereno ad pristinam sanitatem recuperandam plurimum confert. Maximam autem medici attentionem quantitas

nutrimentorum talibus convalescentibus, quorum appetitus utplurimum inordinatus et insatiabilis est, concedenda, sibi requirit. Juvat praeterea, ut cubiculum, in quo per longius temporis spatium detinebatur aeger, cum alio puro laetiori commutetur; balnea vero, nisi prius cuticulae desquamniatio, et capillorum lapsus iam contigerit, nulla praestant emolumenta. Si quae sub convalescentiae stadio intercederent anomaliae et complicationes, ex charactere suo iuxta regulas therapeuticas erunt tractandae.

§. 16.

In omni exanthematum genere sub convalescentiae tempore primarum viarum respectus praecipue habendus, sordiumque gastricarum eliminatio eccoproticis lenioribus, clysteribusque efficienda, quia gastricismus frequentissimam sistit exanthematum scaturiginem. Victus hinc ordinetur parcus, digestu facilis, vegetabilis, potus acidulus; aër sit siccus et purus, moderatae temperiei, cutis summa servetur mundities; quibus rite observatis laetiorem et citiorem reddemus convalescentiam.

Convalescentia post febrim putridam.

§. 17.

Haec inter omnes convalescentiae species diutissime durat, vix etenim ulla datur febris, quae vires vitales adeo adficere, et prosternere valet, quam febris putrida radicem suam in intimis organismi penetralibus figens. Quare morbo hocce periculoso feliciter profligato convalescentes ob summam virium iacturam soli naturae medicatrici relinquere minime consultum foret, sed vires exhaustae remediis invigorantibus, aromaticis, diaeta lauta et vinosa erigendae, et ad pristinum statum vigoris reducendae sunt.

§. 18.

In convalescentia post febrim putridam peculiaria observantur symptomata, quorum praecipua sunt: febricula vespertina et nocturna, subdeliria, tumores pedum et crurum, inexplebile ciborum desiderium, hysteria, hypochondria, functio ventriculi laesa, debilitas universalis summa, apud foeminas anomaliae menstruorum, chlorosis. Non raro hydropes quoque, tabes, et febris lenta qua mala febrim putridam succedentia observantur, propriamque exigunt therapiam.

§. 19.

Febricula modo memorata plus metus, quam periculi animo iniicit, et plerumque post aliquot dies sudoribus succedentibus dijudicari solet. Quodsi vero sudores nocturni profusi, et per septimanas excurrentes non solum materiae morbosae reliquias, sed plasticos quoque educant humores, tum non metus solum, verum etiam periculum crescit, et tum infus. vinos. Salviae, cort. Peruv. aliorumque remediorum roborantium protractus desideratur usus. Deliria, temulentia, animi deliquia ex debilitate praeprimis originem dueentia remediis nêrvinis, roborantibus, vinosis, et diaeta restaurante optime curantur; ita etiam linguae sordities non solventium, sed potius roborantium exigit usum; tumores pedum et crurum frictionibus siccis, fumis aromaticis e ligno vel baccis Juniperi, et moderato corporis motu sunt dispellendi. Fames illa inexplebilis saepe aegrum seducit, ut ei plus aequo satisfaciat, quo saepe saepius saburra in primis generatur viis, magnas aegro et medico parans difficultates. Hinc propinetur victus digestu facilis, nutriens, parum stimulans parva ad semel dosi, sed repetitis vicibus sumnendus. Qua nutrimenta maxime proficua sunt: oryza cum cinnamomo, poma aurantia, potus chocolatae cum lacte, carnes vitulinae, pullinae, panis bis coctus vino imbutus; potui moderatus usus vini vetusti inserviat. — Affectiones hystericae, hypochondriacae remediis amaris, nervinis, infus. cort. Peruv. frigido

et similibus oppugnandae. Maxime vero ex parte medici circumspecti ad illud respiciendum, ut aër convalescentem ambiens sit siccus, serenus ad frigidiusculam potius accedens temperiem; ipsa rusticatio, equitatio, et vectitatio in curru scopo diaetetico egregie conducit. Decubitus vero si adest, tum malum hoc summe molestum solertem exposcit munditiem, frequentem linteorum permutationem, unguenta e camphora et butyro insalso parata, linimenta ex albumine ovi et spiritu vini composita; praesentibus vero ulceribus et ipso sphacelo, fomenta antiseptica ex Decoto Corticis Peruv, quercus in usum trahenda sunt.

§. 20.

Restat adhuc quaedam circa prophylaxim contra febrim putridam adnotare. Constat quidem plures esse non profanos modo, sed et medicos, qui febris putridae epidemice regnantis periculum vel emesi, vel alviductione, aut ipsa venaesectione evitari posse putent; ast eiusmodi naturae adgressores per memorata praesidia prophylactica plus damni, quam utilitatis sibi contrahunt, quia nulla ad praesentem organismi statum ratione habita, alienationem et turbationem functionum producunt, origni febris putridae praecipue ansam praebentem. Omnes tamen cautelas nihili facere aeque injustum foret; hinc quibus optime uti licet, ad sequentes reduci possunt, nimirum: ut epidemia regnante a consueta vitae ratione haud recedamus, errores diaeteticos vitemus; ut aëre libero frequentius utamur; ut aequabilem cutis transspirationem sedulo sustineamus, eiusque suppressionem arceamus; denique ut omnem contagii metum deponamus.

Convalescentia post febrim nervosam.

§. 21.

Ex febri nervosa convalescentes lento nonnisi gradu ad priorem valetudinis statum accedere, atque convalescentiae tempus per plures septimanas, imo menses excurrere videmus. Superest enim magna debilitas, virium languor, capitis

vertigo, susurrus aurium, proclivitas in sudores, animus in pathemata pronus, torpor aut stupor facultatum mentalium, fatuitas, mania, amauroses, gastrodynia, dyspepsia, decubitus, inexplebile et inordinatum ciborum desiderium, pluraque alia. Difficultates hae nervosam febrim excipientes maxima ex parte debilitatem qua fontem suum agnoscunt; hinc remedia illa, quae vires dejectas erigere et restaurare valent, ad eas abigendas plurimum conferunt. Inter haec roborantia, nutrientia, stomachica cum regimine diaetetico congruo summi sunt emolumenti. Scopo restaurationis virium optime sequentia respondent medicamenta, uti: cortex Peruv. cortex Aurant. Cinnam. Quassia, extracta et tincturae amarae, digestionis languore praesente elixirium viscerale ad scrupulum aut drachmam exhibitum, guttatimque sumtum salutares producit effectus; minanti vero diarrhoeae chronicae decoct. Chinae cum Cinnamomo, infus. arnicae, clysteres mucilaginosos opponimus.

Ipsam diaetam quod attinet sub convalescentia post febrim nervos. observandam, ad sequentia respicere debemus, nimirum: ut aër sit purus, saepius renovandus, cibi digestu faciles, eupepti, iuscula carnium saturata ex sago, ova sorbilia, mala cum vino vel cinnamomo condita; potui inserviat vinum dosi moderata purum, vel cum cinnamomo et sacharo conditum, crebrius cochleatim porrectum. Praeterea balnea tepida, nisi proclivitas in sudores, et debilitas torpida vetat, magnae sunt utilitatis. Servetur insuper praecipue corporis mundities, aversentur animi pathemata; omnia haec virium accelerabunt refectionem, et organismo priorem valetudinis statum procurabunt.

Convalescentia post febrim characteris gastrici.

§. 22.

Quo maior fuerit febris saburralis vehementia, quo plures postulaverit alviductiones, eo major relinquitur in primis

viis debilitas, eoque maior remanet digestionis, sanguificationis, et nutritionis prostratio. His residuis malis tollendis optime inserviunt remedia amara-aromatica, uti: extract. Trifol. fibrin. Absynthii, Gentianae, infusum acori, tinctura stomachica, liquor anod. min. Hoffm. Rheum et similia. Superstes vero sensibilitas ventriculi decocto cort. Peruv. praeparatis martialibus, ipsoque opio oppugnatur. Diaeta sit cardiaca et nutriens, vinum generosum princeps stomachicum exiguis portionibus, cochleatim nempe hauriendum. Externe quoque fomenta ex herbis aromaticis, linimenta volatilia, electuarium theriacae adhiberi possunt. Si delitescentem vero suspicaremur ventriculi inflammationem tunc remedia antiphlogistica votis medici satisfacient.

§. 23.

Febris biliosa simplex die plerumque septimo, vel nono, quandoque sed rarius decimo vel undecimo aegrum convalescere permittit, praegressis nempe variis crisibus, ut vomitu, diarrhoea, urinis hypostaticis, sudoribusque profusis, sudores nocturnos in individuis praeprimis laxioribus et debilioribus per longum convalescentiae spatium haud raro observare licet, qui si copiosiores fuerint, non solum aegrum verum et medicum anxium reddere valent, de colliquativis sudoribus metum injicientes. Quodsi autem in dies imminuantur et vires convalescentis refocilentur, vix est quod timeamus; nonnisi tunc si aeger atrocia morbi fractus sudoribus in diem auctis maiorem accuset virium iacturam; si per septimanas perstantes habituales fieri minantur, si aegri magis, magisve emacientur, tunc convalescentiam certe prolongabunt, et ne aeger vires recuperet, prohibebunt. Conveniunt hoc in casu remedia amara roborantia, uti: Cortex. Peruv. Arnica. infus. salviae vinos. et similia vires organismi restaurantia.

§. 24.

Sublata febri biliosa ad convalescentis constitutionem semper respiciendum. Si individuum antea fuerit sanum, Ero-

bustum, tunc sub diaeta primum vegetabili, dein carnibus immixtis et potu vinoso moderato deperditae vires brevi tempore restituuntur, si aeger fuerit laxus, debilis, morbo diuturniori, graviori exhaustus, tum praeter diaetam lautam etiam roborantia stomachica in usum vocanda sunt. Adhibentur ut plurimum in talibus circumstantiis Extracta amara, uti: Fumar. Trifol. fibrin. Centaur. minor. Cardui Benedict. Gentian. Cortex Peruv. et ipsa martis praeparata. Alvus insuper semper aperta teneatur ope tincturae Rhei aquos. aut enematum scopo desiderato respondentium. Quum ex febri biliosa convalescentes aucto innormaliter appetitu iusto plus cibi desiderant, quam vires digestrices debilitatae subigere valent, et e hac causa saepissime in recidivas ruunt, medicus circumspectus eo advertere debet, ut victus parca ad semel quantitate summatur, ut cibi primo sint vegetabiles e fructibus horreis, oleribus gratis, oryza, etc. dein adhibeantur carnes tenerae pulinae vitulinae, vinum gratum cum pane bis cocto dosi non excedente propinatum. Quodsi autem febris biliosa metastasi quadam terminatur, tunc aperientia eccoprotica, ipsaque vesicantia in auxilium sunt vocanda.

Quae hanc febrim potissimum sequi solent mala posthuma, ut emphraxes viscerum abdominalium, hydropes, icterus, hypochondria, vertigo, amaurosis, cardiopalmus, diarrhoeae pertinaces, pluraque alia peculiarem exposcunt medelam iuxta generales therapiae regulas dirigendam.

§. 25.

Febris pituitosa, quae frequentissime ex epidemico scaturit fonte, superficiem internam membranae mucosae qua focum suum agnoscit; rusticos imprimis, qui caloribus aestivis uruntur, qui multis agitantur sudoribus, et saepius vehementer refrigerantur, invadere solet, quia materia perspirabilis aëris frigore ad primas vias per calorem aestivum debilitatas repercutitur. Neque minus homines laxos, debiles, vitam sedentariam agentes, victu farinaceo pingui se se nutrientes,

foeminas et plebem infimam afficere praediligit. Haec ut compertum est, febris longam et per septimanas decurrentem celebrat convalescentiam.

§. 26.

Quae pro convalescentibus ex febri pituitosa exsurgunt indicata, ad haec restringuntur, nimirum; ut humorum superstes tenacitas superetur, debili corpori robur addatur, et nova pituitae generatio impediatur. Cui primo scopo optime satisfit remediis solventibus minori tamen dosi porrectis, ne nimia inducatur virium debilitas; hinc radix Graminis. Tarax. Cichor. suas merentur laudes. Superata tali modo residua humorum tenacitate, debilitatis primis viis et toti cropori robur addere conamur remediis tonico solventibus, amaris, amaro-aromaticis, cortice Peruv. vinosis, ipsis quoque martialibus, quae corpus roborant, et pituitae generationem prohibent. Ut autem eo facilius et securius ultimus hic obtineatur finis, etiam debitum regímen diaeteticum in eundem scopum collimari debet; vitentur proin carnes durae gelatinosae, pingues, cibi farinacei; commendetur potius usus vegetabilium, carnium tenerarum, panis bis cocti vino bono íntincti; versentur convalescentes in aere libero, puro, sicco; quae omnia certissime novam pituitae generationem praecavebunt. Quodsi vero primis viis remediorum congruorum ope purgatis, linguae tamen sordities et os mucosum perstaret, tantum abest ut per dies et hebdomadas alvum scopo evacuante sollicitari seducamur, ut hic potius roborantia, stomachica et vinosa in auxilium vocare debeamus; secus enim et linguae et oris constitutio non tantum non emendabitur, sed in dies magis increscet, nonnisi organorum assimilationis pristino tono restituto profliganda.

Quum vero febres pituitosae vernáles characterem inflammatorium, et aestivae nervosum aut septicum libenter induant; quum porro febres vernales in intermittentes quotidianas et aestivae in larvatas aut comitatas, cholericas trans-

ire observatione constat; facile inde liquet ad morbi praegressi characterem in dirigenda cura sub convalescentia maximum respectum esse habendum, ne v. c. si febris pit. inflammationis notam habuerit, remediis roborantibus incaute porrectis nova resuscitetur inflammatio.

Convalescentia post febrim hecticam

§. 27.

Ex febri hectica decumbentem medico si contigerit in optatum convalescentiae deducere stadium princeps erit indicatum vires aegri per morbi praegressi atrociam deperditas diaeta nutriente reficere et restituere. Quum vero in hecticis organa adsimilationis multifarias ostendunt laesiones, diaeta nutriens cum cibis digestu facillimis et blandissimis ordiri debet. Itaqne commendant practici ab initio usum lactis asinini aut caprini, cui tamen lac humanum multum praestat; laudatur etiam albumen ovorum cum cinnamomo et saccharo conditum, dein juscula ex ostreis, testudinibus confecta. Si tali victu organis adsimilatiois quid roboris fuerit additum, transeundum ad diaetam carnosam, inter quas carnes primum pullinae tum vitulinae, ultimum tandem locum bovinae tenent, sicut et assatae coctis praeferuntur. Pro potu inserviat cerevisia bona, et vinum generosum vetustum cochleatim sumtum. Quoad reliquam vivendi rationem commendatur usus aëris liberi, motus corporis primo passivus, serius activus viribus convalescentis adaequatus, nuquam exaestuans ad delassationem et sudores usque protractus. Quies pomeridiana imprimis praedilecta concedatur, nunquam tamen diu prrotrahenda. Fugiantur omnes ingratae animi passiones, et affectus vehementiores, et mens iucunda objectorum delectatione, et conversatione grata exhilaretur; in quem scopum rusticatio, et itinera per amoenas objectorum alterationes suam et quidem maximam contribuunt symbolam.

Quae e pharmaceuticis suam inveniunt adplicationem, sunt remedia roborantia, tonica, amaro-aromatica, praecipue Lichen Island. cortex Peruv. quibus cardiaca et acida mineralia adjungi possunt, semperque ita dirigi debent, ut organorum assimilantium viribus adprime conveniant.

Convalescentia post febres intermittentes.

§. 28.

Febri intermittente, sive fuerit simplex, sive complicata, debitis auxiliis iugulata, plurimum interest recidivam eius praecavere, quum omnium recidivas habeat facillimas, ad quas praecavendas continuató usu Cort. Peruv utuntur medici; suntque practici, qui aegros suos febri iam profligata specificum hocce remedium per tres septimanas et ultra continuare sinant. Haec cautela omnino superflua videtur esse, et tum nonnisi probanda, si character febris profunde nervis insitus, aut si anni tempus homines in febres intermittentes reddat admodum proclives.

§. 29.

Quaeritur utrum sub convalescentia ex febri intermit. purgans sit exhibendum, ut cortex Peruv. e corpore eliminetur? hunc morem qui sequuntur, omnino errant; purgante enim exhibito febris certo certius redibit; quia superstes in recidivas pronitas purgantibus magis augetur.. Quodsi autem sub convalescentia adesset turgescentia sursum vel deorsum versus, tum propinatum emeticum, aut purgans febrim vix revocabit. Simili modo nociva est venam secandi consuetudo, profanis mense Majo praedilecta, et scopo sanguinem purgandi instituta.

§. 30.

Mirum sane, cur noto contra febrim intermittentem remedio specifico tam frequenter observentur recidivae? Rem accurate investigando facile reperimus, quod plerumque cau-

sa excitans febris negligatur; hinc si cortex Peruv. paroxismos aliquod suffocavit, minima causa data febris iterum recludit, quoniam morbo quamvis profligato longiori tempore clandestina latet oportunitas pristino malo revocando idonea. Prae aliis itaque convenit convalescentibus ex febri interm. protractus remediorum amaricantium et aromaticorum usus uti: Absynth. Centaur. min. Gentian. et similium. Si post febrim intermit. aegri nimium debilitati sint, tum his victus analepticus, et potus parcus vini generosi subiungendus; alvus insuper semper aperta est tenenda clysteribus aperientibus aut pillulis ex Rheo vel Aloë confectis; praeterea frictiones ieiuno ventriculo per totum abdomen cum pannis asperis fumo Bensoës et similium imbutis multum praestant. Maximopere conducit convalescentibus versatio in aëre libero, puro, sicco temperato; hinc non omni destituta est ratione opinio vulgi, qua hominem pontem transeuntem recidivum credunt, cum frigus aquae transspirationem cutaneam facile supprimere, et recidivam provocare possit. Proinde vitetur imprimis aër humidus, nebulosus, palludosus, arceantur omnes ambulationes ad rippas et littora fluviorum. Ad recidivam febris intermit. endemicae praecavendam celebratur climatis commutatio. Victus sit digestu facilis constans in iusculis concentratis, oleribus et fructibus coctis aromate conditis, quoad dosim parcus et moderatus repetitis potius vicibus summendus. Caveant convalescentes ab usu nutrimentorum illorum, quae vires digestrices dejiciunt, uti: fructus horrei recentes, carnes suillae, pisces, caseus, ova cocta dura. Videndum generatim, ut regimen diaeteticum characteri morbi exantlati, eiusque variae complicationi apte adcommodetur. Denique ipsam curam psychicam in auxilium vocare multum iuvat, quum imiginationis imperium in provocandis recidivis abunde constet. Si recidivantium historiae considerantur, patet diem, imo et horas recidivae incidere in dies et horas, quibus febris invadere solebat. Quare medici erit animum aegri ita disponere, ut in alia quaeque laetiora attentionem suam dirigat.

§. 31.

Quod innumeros illos, qui febres intermit. excipere solent, attinet morbos posthumos, ut: tumores oedematosi, hydropes, infarctus viscerum abdominalium, icterus, tussis chronica, asthma, phtises, et alia plura: haec mala assiduam, longaevam et taediosam saepe efflagitant medici curam, quam hic speciatim exponere locus non est, cum ea alioquin ad forum nosologiae specialis spectent. Hoc attamen monendum habeo, ut in curandis his febrium intermit, sequelis medicus semper ad coëxistentem diathesim febrilem respiciat, quae diathesis optatae posthumorum sanationi frequenter obstare solet.

§. 32.

Pertractatis praecipuis pyrexiarum speciebus quoad curandos ex iis convalescentes, restaret adhuc chronicorum quoque morborum infinitum agmen specialius exponere. Ast proh dolor! tantum abest, ut ingens morborum chronicorum cohors hic loci perlustrari possit, ut alia reticere queam impedimenta, quibus ab hocce opere desistere cogor. Adtingam itaque in genere nonnisi praecipua quaedam de his morbis.

Convalescentia post morbos chronicos, quae aeque ac decursus eorum in diuturnum excurrit tempus, totius corporis debilitatem debellandam medicis imponit. Omissis medicamentis, quae ex leniter roborantibus, stimulantibus et spirituosis petuntur, et quae omnis medicorum prudentia sua casui adcommodata seliget, in sex sic dictas res naturales attentionem dirigemus.

Diaeta in individuis morbos diuturnos perpessis non sit nimis stricta; minime tamen obliviscendum eandem viribus primarum viarum languentibus accomodandam esse, ac proin cibi digestu facillimi, nutrientes parce quidem sed repetitis vicibus porrigantur oportet.

Aëre utantur libero, puro, sereno; alias sub diaeta etiam optima vix unquam recuperabit vires debilis convalescens quod praecipue de phtysicis valet, item de asthmaticis, rachiticis, hystericis et hypochondriacis.

Motus exerceatur primo passivus, hinc vectio in curru; serius activus vires tamen minime excedens, uti ambulatio, rusticatio, variae laborum species, quibus omnibus vires aegri roborantur. Ast labores, et adstrictiones mentis systhema nervosum afficientes per longius tempus evitari debent.

Somnus concedatur quidquam largior, sed aetati, sexui, vitae generi, consvetudini, et iacturae virium consentaneus, nunquam diu protrahendus, neque semel expergefactus diutius in stragulis volvatur, ne debilitas virium iusto magis augeatur.

Alvus sedulo aperta teneatur necesse est in convalescentibus ex morbis chronicis, imprimis ex affectionibus cephalicis, haemorrhoidalibus, obstructionibus viscerum abdominalium, ictero, asthmate.

Balnea, a tepidis ad frigida pedetentim transgrediendo, in morbis ex laxitate inductis, in convulsionibus, epilepsia, chorea Sti. Viti, abusu veneris insignes promerentur laudes.

Vestimentorum aeque ratio habenda, prae ceteris post affectiones rheumaticas, arthriticas; eadem convalescens climati, athmosphaerae vicissitudini, aliisque circumstantiis accommodet, strenuamque servet totius corporis munditiem necesse est.

Theses defendendae.

1. Omnis ars ingenio et dexteritate artificis maiorem, aut minorem gloriae gradum adtingit; hinc et
2. Medicina, qua ars, per medicos celebritatem adquirere, vel profanari potest.
3. Negligens medici cura circa convalescentes plus saepe damni, quam eadem circa aegros adfert; quia
4. Auctocratia naturae in morbo recens nato saepe admodum viget, in recidivo vero morbo saepissime debilis adparet.
5. Hahnemannus novum et precarium suum systhema certe haud construxisset, si magis incubuisset in medicinam practicam, quam in theoreticam.
6. Diagnosis morborum pectoris imprimis organicorum solummodo percussionis et auscultationis ope rite determinari potest
7. Formula faraginem medicamentorum continens infirmitatem diagnoseos arguit, ac saepius nocet
8. Fiducia aegri in medicum potens sistit remedium.
9. Nihil magis medicinae perfectioni, et veritatis in eadem cognitioni obest, quam unam pertinaciter sequi sectam, et in unius iurare verba magistri.
10. Non aetas, sed iudicium facit medicum.
11. Symptomata venerea quum evanuerint, de perfecta morbi sanatione certus adhuc non sis.